



ejusdem diametri, sed diversi ponderis, qui demittantur, oleo illiti, in stratum molle luteum ex altitudinibus, quae sint inverse uti pondera globorum: observabitur, foveas utrinque insiditas exactissime inter se esse aequales. Ergo. Videtur argumentum cl. Autoris ejusmodi esse: ubi effectus aequales sunt, etiam vires aequales sint necesse est; effectus aequales sunt ex observatione; ergo & vires: hae autem aequales non erunt, nisi massae ducantur in quadrata celeritatum: Enim vero ponamus pondus majoris massae =  $le$  18, altitudinem =  $lem$  4; pondus massae minoris =  $le$  8, celeritatem =  $lem$  9; dabitur reciprocatio cum sit  $P:p = a:A$  five  $18:8 = 9:4$ . His positis: quoniam ex mechanica est  $C:c = \sqrt{S} : \sqrt{s}$ , &  $S=A$ , erit  $C:c = \sqrt{A} : \sqrt{a}$ ; est autem  $A = 4$ ;  $a = 9$  ergo  $C:c = \sqrt{4} : \sqrt{9}$ ; unde quia  $\sqrt{4} = 2$  &  $\sqrt{9} = 3$ ; erit  $C:c = 2:3$ ; ducantur jam celeritates istae in suas massas, erit  $M. C = 18. 2 = 36$ , &  $m. c = 8. 3 = 24$ ; est autem  $36 > 24$ ; momenta igitur non sunt aequalia. Contra ducantur massae in suum quaevis celeritatis quadratum; erit  $M. C^2 = 18. 4 = 72$ ;  $m. c^2 = 8. 9 = 72$ . Vires igitur vivae non sunt uti massae ductae in celeritates simplices, sed uti massae ductae in quadrata celeritatum. Verum respondent *Neutroniani* hac de re cum *CARTESIO* consentientes, minime vires quibus memorati effectus respondent, aequales esse, aut posse aequales esse, quamvis foveae tales sint. Bene respondent: corpus enim ex majori altitudine descendens longiori tempore absolvit